AD

RATIONEM ADITIALEM PUBLICAM

IN

AULA JURISCONSULTORUM

DIE XIX MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCXLIII
HORA XI.

HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

JOANNES LUDOVICUS FLATHE,

PHILOSOPHIAE PROFESSOR EXTRAORDINARIUS
DESIGNATUS.

INEST DISSERTATIO DE IMPERIO SASSANIDARUM.

LIPSIAE.

IMPRESSIT B. G. TEUBNERUS.

Quamvis recentioribus temporibus a Viris doctis summopere elaboratum sit, ut quae vita, qui mores, quae religio, quae rerum publicarum forma antiquissimis populis fuisset, accuratissime cognosceretur, et quamvis plurima ea sint, quae nostrorum hominum doctrina atque sagacitas multo diligentius perscrutata sit, ita ut pleraque, quae proavis nostris vel ignota vel obscura erant, ad lucem provenerint: nihilo minus tamen multa supersunt, de quibus accuratius disseri posse videtur, supersunt etiam, quae plane prorsusque adhuc non enucleata sunt. Neque id mirum cuiquam videri debet, quum universam antiquitatem pernoscere res difficillima eademque longissima sit. In earum vero rerum, quas tractare et retractare opus videtur, censum referendae sunt non tam veterum Graecorum et Romanorum historiae, quippe quae doctissimorum virorum studiis jam dudum diligentissime illustratae sint, quam potius res et civitates eorum antiquitatis populorum, quorum sedes in Orientis terris erat. Cur autem factum sit, ut isti populi aliis magis negligerentur a scriptoribus; potissimum duae sunt causae. Primum enim omnis omnino Orientis ratio et conditio a nostra admodum diversa est, ita ut ea sane nobis, Europae incolis, difficilis sit et ad intelligendum et ad explicandum. Deinde testimonia, e quibus historiam illorum populorum derivari necesse est, rariora sunt et minus certa, quam in rebus Graecis et Romanis.

Quae quum ita sint, nobis, hac scribendi occasione oblata, placuit ex illis Orientis populis aliquem, Persarum populum, de quo accuratius disputemus, eligere. Persas vero quum dicimus, intelligi volumus non illum antiquissimum Persarum populum, qui ante Romanae reipublicae eversionem floruit, sed hunc nostrae aetati propiorem, quem reges Sassanidae, qui dicuntur, suo tenebant imperio. De his Persarum regibus et temporibus nescio

quo casu fortuito accidit, ut nostris saeculis, i. e. XVIII et XIX, non nisi pauci viri docti scriberent. Nam non solum Brissonius in eo libro, quem de rebus Persicis scripsit, illa, quibus Sassanica gens regnabat, tempora plane neglexit *), sed etiam Saint-Martin, Francogallus, quum ante hos XX annos opus illud immensi laboris, quod saeculo XVII de imperio Byzantino Le-Beau vir doctissimus, composuerat, adjectis multis adnotationibus ederet, non nisi passim de Persarum recentiorum regibus deque gentis ac civitatis Persicae conditione quaesivit et exposuit, maxime quidem tum, quum, quae de historia partium terrae Orientalis minus recte ab auctore enarrata viderentur, corrigere vellet **). Ceterum rectissime iste vir doctus vidit, imperii Persici rationem iis temporibus, quibus Sassanica gens dominatum habebat, longe aliam quam antiquissimis illis fuisse; vidit, restauratam per Artaxerxem, Sassanis nepotem, Persarum civitatem tam diversa ab antiquo illo imperio, quod Macedonum armis eversum esset, conditione fuisse, ut similitudinem plane desideres; vidit denique regiam auctoritatem apud priscos illos Persas liberam nec aliunde pendentem tempore restituti imperii admodum diminutam ac nobilitatis praecipue potentia coercitam et repressam fuisse, ita quidem, ut certis legibus vel consuetudinibus moderatam et mixtam reipublicae formam merito eam dicere liceat. Nimirum quum Saint-Martinus non eo consilio scriberet, ut historiam Persarum regnantibus Sassanidis exponeret, sed ut, quae ab autore ejus, quod diximus, operis passim de imperio Persico allata essent, emendaret, factum est, ut de forma quidem et conditione civitatis Persicae plurima bene et vere dicta invenias, multa tamen adhuc sint, quae utpote neque justo or-

*) Non nisi paucissima de Sassanidarum imperio afferuntur a Brissonio „de regio Persarum principatu" pag. 315.

**) Histoire du Bas-Empire par Lebeau. Nouvelle édition, revue entièrement, corrigée et augmentée d'après les historiens orientaux par M. de Saint-Martin. I—XXI. Paris 1826—1836. Nonnulla, quae ad historiam Persiae Sassanidarum temporibus spectant, idem auctor in alio libro exposuit: Mémoires historiques et géographiques sur l'Arménie par M. de Saint-Martin. I. II. Paris 1818.

dine neque perpetuo tenore scripta omnino minus accurate, distincte et copiose demonstrata esse videantur. Quare hanc rem nunc ita tractare placet, ut ab initio ad finem, justo ordine, additis, quae addenda videntur, eam totam explanemus.

Duo autem potissimum hic nobis facienda sunt. Unum est, ut exponamus, qui factum sit, ut respublica Persica, antiquissimis temporibus regio dominatui eidemque certis legibus non circumscripto subjecta, spatio quinque saeculorum interposito ita potuerit immutari, ut talis moderata civitatis forma, in qua nobilitatis tantae fuerint opes, ut regias paene exaequarent, efficeretur. Alterum, ut demonstremus, quae et qualis Sassanidarum tempore nobilitatis potentia et auctoritas fuerit.

Verum quidem est, certis legibus regiam potestatem apud antiquissimos Persas circumscriptam non fuisse, sed erant tamen, quibus severitas regii imperii quodammodo temperaretur. Primum enim moris erat, ut reges Persici quaedam instituta majorum tanquam leges agendi rite sequerentur. Quae res quamvis per se probabilis sit, repugnare tamen videtur quaedam Herodoti narratio. Is enim refert, Cambysem aliquando ex regiis, qui dicebantur, judicibus quaesivisse, an sibi fororem suam in matrimonium ducere liceret, scilicet quum bene teneret, matrimonia cum sororibus iniri non solere, quum vero judices sciscitanti respondissent, omnia quaecunque vellent regibus Persarum faciendi postestatem esse, etiam lege posthac sanxisse, ut, si quis sororem suam ducere vellet, id permissum foret *). Sed ipse Herodotus hoc loco refert, non regis, sed regiorum, qui dicebantur, judicum fuisse, ut, quid antiqua consuetudo postularet, omnibus patefacerent, unde sponte apparet, leges non ex regum libidine, sed ex illorum judicum arbitrio pependisse. Hos autem judices, quibus tanta potestas erat, ne a regibus quidem munere suo moveri potuisse constat. Ceterum multa exempla relata

*) *ὑπεκρίνοντο αὐτῷ οὗτοι καὶ δίκαια καὶ ἀσφαλέα· φάμενοι, νόμον οὐδένα ἐξευρίσκειν, ὃς κελεύει ἀδελφεῇ συνοικέειν ἀδελφεόν· ἄλλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιέειν τὸ ἂν βούληται.* Herod. III. 31.

legimus, ubi reges Persarum veterum instituta, quorum judicium penes regios, qui dicebantur, judices fuisse videtur, religiosissime observant. Sic memoriae proditum est, Artaxerxem, quum ab uxore quadam semet offensum opinaretur, eos, penes quos judicandi potestas erat, provocasse, ut quid juris ratio flagitaret, aperte dicerent*).

Verum quidem est, multos Persarum reges instituta veterum aspernantes ex libidine imperium gessisse. Sed facientes ita, ab ipsis Persis tyranni habebantur; quae res innuere videtur, Persicorum regum dominatum veteribus illis institutis quodammodo circumscriptum fuisse. Maximo autem impedimento liberae Regum Persicorum dominationi nobilitatis potestas erat, quae ex consuetudine quadam regiam auctoritatem ita coercuisse videtur, ut plane immoderata, nullisque omnino limitibus circumclusa haberi non possit. Satis scilicet constat, in omni regno Persarum, quod a Cyro initium cepit, potentissimam floruisse nobilitatem. Non apud ipsos solum Persas et Medos, sed apud omnes omnino populos, quibus cum Persis ac Medis consanguinitas erat, nobiles stirpes auctoritate et opibus pollentes fuisse videntur. Quid? quod iis etiam nationibus, quae Persis ac Medis consanguineae non erant, sed aut imperio Persarum parebant, aut in eorum vicinitate habitabant, ut Armeniis, Albanis, Abasgis, Iberis et Lazis, nobilitas quaedam fuit, quae maxima in rebus gerendis auctoritate gaudebat. Ipsorum Persarum nobilitatis tres gentes erant, inter quas Pasagardae, quorum septem familiae numerantur, primum locum tenebant. Omnes has gentes latifundiis et hominum, qui iis parebant, multitudine locupletes fuisse satis probabile est***).

Hanc ipsorum Persarum et Medorum nobilitatem jam Cyri et

---

*) Joseph. Antiquit. XI. 6.

**) Moses Choren. III. 51 Agathias III. 8. Procop. de bell. Pers. I. 12 Id. de bell. Goth. IV. 9.

***) Ἔστι δὲ τάδε, ἐξ ὧν ὦλλοι πάντες ἀρτέαται Πέρσαι, Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι· τουτέων Πασαργάδαι εἰσὶ ἄριστοι. Herod. I. 125.

Cambysis tempore plurimum in rebus gerendis valuisse, verisimile est. Postquam vero, Cambyse mortuo, antiquorum regum suboles exstincta est, tum primum nobilitatis vires multum crevisse videntur. Nobilitatis auctoritate quasi novum regnum institutum est. Convenere Pasagardae, ut Dario, qui e familia Achaemenidarum ortus erat, imperium, sed non nisi certis propositis conditionibus traderent. Quaenam vero hae conditiones fuerint, in tanta veterum monumentorum penuria certo definiri nequit. Relatum tamen apud Platonem legimus, Darium, quum a ceteris Pasagardis in imperium esset elatus, regni jura in septem partes distribuisse, cujus instituti etiam tum temporis aliqua, sed non nisi vana species superesset. Quo haec pertineant, certo dici nequit. Videntur tamen Darius et nobilitas (nam de nobilitate intelligenda sunt, quae a Platone referuntur) ita inter se pacti esse, ut viri illi nobiles quodammodo imperii participes fierent, ita videlicet, ut quae munera in civitate maximi momenti essent, ipsis traderentur. Quo id modo factum sit, nescitur, quum, teste eodem Platone, quae Darii tempore instituta erant, brevi post paene ad nihil reciderint*). Sed fortasse ita factum est, ut a rege Dario ceteris Pasagardarum familiis et satrapiae et alia munera, quae hereditario jure haberent, traderentur. Certe, qui Armeniae et Ponti satrapias tenebant, posterioribus temporibus sese ab iis nobilibus, qui Dario, Hysdaspis filio, olim imperium mandavissent, oriundos esse jactabant**). Scriptum etiam legimus, Oroitem, unum ex iis, qui regem creaverant, Phrygiae, Lydiae et Joniae satrapias tenuisse †): item, Darium tributa provinciis adhibito nobilium consilio imposuisse ††); denique eos, qui ex illis septem familiis

---

*) *Δαρεῖος γὰρ βασιλέως οὐκ ἦν υἱὸς, παιδείᾳ τε οὐ διατρυφώσῃ τε θραμμένος· ἐλθὼν δ' εἰς τὴν ἀρχὴν, καὶ λαβὼν αὐτὴν ἕβδομος, διείλετο, ἑπτὰ μέρη τεμόμενος, ὧν καὶ νῦν ἔτι σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται.* Plato de Legib. III.

**) Appian. de bello Mithrid. 112. Strabo. XI. 12.

†) Herod. III. 127.

††) *Τοὺς δὲ φόρους τοῖς ὑπηκόοις τάξας, μετεπέμψατο τοὺς πρώτους τῶν ἐπαρχιῶν, καὶ περὶ τῶν φόρων ἠρώτησε μὴ βαρεῖς εἰσι· φη*

oriundi essent, sine omnium harum familiarum consensu morte affici non posse*). Quae res omnes testantur, tempore Darii Hystaspis, i. e. initio restituti regni, Pasagardas ceterasque nobilium gentes maxima auctoritate fuisse.

Sed aut ipse jam Darius aut ejus successor id effecisse videtur, ut conditionibus iis, quas cum nobilitate facere coactus esset, non solum non morem gereret, sed eas etiam tolleret et abrogaret. At vero penitus oblivioni haec eo minus tradi poterant, quo magis vel ipsis Persarum regibus omni tempore et fides et auxilium nobilitatis in sustinendo imperio necessaria erat. Hinc factum videtur, ut reges omnia, quae essent agenda, non nisi per nobilitatem gererent. Constat enim, nobiles regibus semper ad manus esse, in aula regia versari, domum regalem tutari, jura regis nomine dicere, exercitui absente aut nolente rege praeesse, res publicas moderari, provincias administrare, omnibus omnino imperii muneribus fungi, denique, sicubi de summa rerum agebatur, in consilium a regibus vocari consuevisse. Antiquo tempore non nisi per ipsorum Persarum et Medorum nobilitatem Reges Persici omnia gerere solebant, progrediente vero tempore factum est, ut cetera quoque earum nationum, quae Persis ac Medis consanguineae erant, nobilitas in imperii societatem adjungeretur. Jure enim meritoque ea imperii societas dici potest, quoniam nobilitas non solum omnibus muneribus fungebatur, sed regni quoque fructibus magna ex parte fruebatur.

Certis itaque legibus Persicorum regum potestas nullo omnino modo, nonnisi interdum religionis auctoritate et veterum institutis circumscripta, semper vero et ubique nobilitatis potentia circumclusa erat. Antea necessitate quadem coacti, deinde moris ac consuetudinis vi reges negotia ad unum omnia nobilibus administranda et gerenda tradidisse videntur. Licet

---

σάντων δὲ μετρίως ἔχειν, ἐκέλευσε τελεῖν τοὺς ἡμίσους ἕκαστον. Plut. Apophth. reg.

*) Herod. III. 118. 119.

singuli nobiles, magnorum, ut apud Persas vocari solebant, regum servi et essent et appellarentur, licet crudelissimam regum vim singuli nonnunquam paterentur, maxima tamen totius nobilitatis potentia fuit. Singulorum quoque nobilium, eorum maxime, quibus Satrapiae tradebantur, opes tantae erant, ut saepius vi armisque non sine felici successu regibus obniterentur. Sane fieri non aliter potuit, quin, postquam antiquum illud imperium sensim sensimque labefactari et reges a Dario oriundi a pristina virtute ad mollitiem deficere coeperunt, nobilitatis et vires et animi creverint. Tum saepius saepiusque regiae potestati armis obviam itum, et satrapiae a patribus, quasi hereditario jure eae possiderentur, ad filios sunt propagatae.

Etsi, ut supra diximus, jam Dario Hysdaspis filio contigisse videtur, ut quas conditiones eo consilio, ut arctis limitibus regia potestas in posterum circumscriberetur, Persica nobilitas ei imposuerat, eas ad irritum redigeret, nihilo minus tamen, progredientibus temporibus, nobilium potestas sensim sensimque rursum crevisse videtur. Illo tempore accidit, ut Alexander Macedonum rex vetus illud Persarum regnum bello aggrederetur. Ex multis autem indiciis apparet, primores Persicae nobilitatis iis temporibus, quibus ita imperium primum oppugnari, deinde pessum ire videbant, magnas spes et nova consilia cepisse. Sperabant enim fore, ut Macedones satis quidem magnas vires haberent ad evertendum regnum, nec vero ad perficiendum id, ut novae dominationis fundamenta jacerent. Non mirum igitur est, nobilium principes, postquam Darii familia, cui olim imperium demandatum erat, interiit, nihil habuisse antiquius quam ut in locum interfecti regis ipsi succederent. Quare, Alexandro adhuc vivo et Macedonum armis per Asiam dominantibus, alii Persicae nobilitatis principes id egerunt, ut toto regno, quod Darii familiae fuerat, potirentur, alii contra unam alteramve veteris hujus regni partem occupare satis habuerunt. At omnia fere haec consilia et Alexandri prudentia et Macedonum virtute irrita reddita sunt. Constat tamen, vel Alexandro vivo virum quendam, cui Atrobati nomen erat, et quem inter nobiles primores refe-

rendum esse verisimile est, regiam sibi potestatem, occupata aliqua Mediae parte, sumpsisse *).

Jam quum, si hunc Atrobatem excipias, cetera omnia, quae Persicae nobilitatis principes imperii instituerant adipiscendi conata felici successu carerent, factum est, ut mox illi animos demitterent, tacito per aliquod tempus Macedonibus obtemperantes. Unde Seleucidis contigit, ut illas quoque veteris Persici regni partes, quas et Persae ipsi et qui his consanguinei erant populi incolebant, nanciscerentur. Firmam tamen et stabilem dominationem in illis, quas diximus, Persici regni partibus ne Seleucidae quidem ullo unquam tempore obtinuisse videntur, propterea quod ut nobilitas alienigenis regibus infensa, ita populorum quoque animi ab illis aversi et alieni erant. Accedebat, quod hinc Romani, illinc Ptolemaei in id regnum impetus et incursiones facientes, opes ejus magis magisque in dies attererent et diminuerent. His et similibus rebus nobilitatis principes denuo ad novas spes erecti cooriebantur, ut id, cujus exspectatio quondam ipsos fefellerat, imperii possessionem dico, nunc certe consequerentur. Ita Armenii, Parthi, Medi, Elymaei, ipsi denique Persae a Seleucidis defecerunt, principibus nobilium ubique locorum populos suos hortantibus, ut se in libertatem vindicarent. Hoc modo factum est, ut summa nobilitas nova regna et conderet et occuparet. Consulto diximus summam nobilitatem, quum probabile sit, non nisi a potentissimis ex cujusque provinciae nobilitate illa regna constituta esse. Neque vero constitui illa regna poterant nisi ceterorum nobilium consensum et auctoritate, quorum quidem potestatem, quum Seleucidis dominantibus omnes res in discrimen et periculum adductae essent, multum denuo crevisse verisimile est. Solet enim potentia eorum, qui jam ante opibus valent, turbato rerum ordine, augeri. Ita Parthicorum quoque regum potestas nobilitatis potentia circumscripta et quasi coercita est. Neque abhorret a verisimilitudine, in condendis novis his imperiis

*) Ὃς ἐκώλυσεν ὑπὸ τοῖς Μακεδόσι γινέσθαι καὶ ταύτην, μέρος οὖσαν μεγάλης Μηδίας· καὶ δὴ καὶ βασιλεὺς ἀναγορευθεὶς ἰδίᾳ συνέταξε καθ' αὑτὴν τὴν χώραν ταύτην. Strabon. XI. 6.

iterum, uti post Cambysis mortem, inter omnes has nobiles familias, quibus cetera nobilitas imperandi jus mandabat, et iam hanc ipsam nobilitatem de certis conditionibus convenisse, quibus regia auctoritas circumscriberetur. Nec facile factu erat iis, qui nova regna acceperant, has conditiones aut aspernari aut abrogare, cujus rei causa in eo posita est, quod non in unius manum totum Persicum imperium venerat. Huc accedit, quod hos reges multum inter se de summo imperio decertabant. Medorum ac Persarum reges multa et diuturna cum Parthorum imperatoribus, ne ab eorum dominatu penderent, bella gerebant, quibus finitis denique eorum imperium in se recipere coacti erant. Sic factum est, ut admodum debiles nec nisi infirma potentia essent*); quapropter non facile id moliri poterant, ut conditiones cum nobilitate, quum imperium acciperent, factas infringere conarentur. Perpetua igitur in omnibus hisce regnis nobilitatis potestas permansisse videtur, qualem etiam apud ipsos Parthos valentem videmus**). Nam reges apud Parthos a nobilitate eliguntur, et munera, quae in eorum civitate maximi momenti habentur, nobilitatis quasi patrio jure fuisse videntur; etiam de summa rerum regibus nobilitatem in consilium vocare necessarium erat. Mediae vero et Persiae regna posteriore tempore a Parthis eversa esse constat, sed ita tantum, ut quod unius imperium antea fuerat, pluribus regulis traderetur. Ipsam Persiam brevi ante Sassanidarum aetatem pluribus regulis paruisse scimus, quibus ad evertendam nobilitatis potentiam minores vires minorque audacia erat.

Hae fere sunt causae, quibus credere cogimur, nobilitatis

---

*) *Καὶ γὰρ εἰ βασιλεύονται μέχρι νῦν ἴδιον βασιλέα ἔχοντες οἱ Πέρσαι, τῇγε δυνάμει πλεῖστον ἀπολείπονται, καὶ τῷ Παρθυαίων προσέχουσι βασιλεῖ.* Strabo. XV. 3.

**) *Συμφρονήσαντες δὲ οἱ γενναιότατοι Πάρθων, ὡς ἀβασιλεύτοις μὲν ἀμήχανον πολιτεύεσθαι· οἱ δὲ βασιλεύοντες ἐκ τοῦ γένους τῶν Ἀρσακιδῶν, οὐ γὰρ ἑτέροις ἄρχειν νόμιμον, ἀπέχρη δὲ πολλάκις καὶ μέχρι νῦν περιϋβρίσθαι τὴν βασιλείαν ἔκ τε γάμων τῆς Ἰταλικῆς παλλακίδος καὶ γενέσεων Ὀρώδην ἐκάλουν πρεσβεύσαντες.* Joseph. Antiq. XVIII. 2.

auctoritatem, cujus jam veteris regni Persarum temporibus hic illic certa quaedam vestigia apparent, per saeculorum decursum, maxime propter debilitatem, qua reguli, quos diximus, laborabant, ita succrevisse, ut regiam, si non superaret, certe aequaret. Confirmatur autem hujus sententiae veritas non solum interna, quam dicunt, rei verisimilitudine, sed etiam externa i. e. toto reipublicae statu, qualem Sassanidarum aetate legibus et moribus constitutum videmus; nam omnia, quae illo tempore geruntur, non nisi nobilitatis ope, auxilio et auctoritate facta esse apparet.

Sed antequam ad rem ipsam accedimus, non alienum ab hoc loco videtur, de iis fontibus, ex quibus historia temporum Sassanicorum derivari et potest et debet, nonnulla dicere. In universum autem duo sunt illorum scriptorum genera, unum Orientalium, quorum magnus numerus est, in quibus plerique Muhamedani, alterum Byzantinorum, quorum alii aliis magis fide digni videntur. Ac Muhamedani quidem scriptores, quum multum commendationis inde habere videantur, quod iis in ipsa illa terra, ubi Sassanidarum regnum fuerat, degentibus Persarum diaria publica adhibere licebat, tamen, rejectis his historiae scribendae adjumentis, id potius, qui Orientalium hominum mos est, egerunt, ut omnia, quae fabulosa, portentosa sunt et quae simplicem veritatem excedunt, narrare miroque modo exornare studerent. Quapropter adhibendi quidem sunt illi Orientales scriptores, sed maxima cum cautione. Nec majore quam Muhamedani auctoritate scriptores Christiani, ut Bar-Hebraeus, Eutychius, Moses Chorenensis, haberi debent. Huc accedit, quod satis exiguus tantummodo numerus horum scriptorum est, qui Europaeis hucusque innotuerunt.

Venimus ad alterum genus testium, scriptores Byzantinos. Horum potissimum spectandi sunt ii, qui Sassanidarum aequales fama et auditione comperta ea habuisse videntur, quae de Persis narrant, velut Procopius, Agathias, Theophylactus Simocatta et alii. Tantum abest, ut hi, quemadmodum Muhamedani illi scriptores, nihil nisi res inauditas et miraculosas et narrent et captent, quamquam ejusmodi narrationes non prorsus respuunt, ut ea potius, quae simplicia et vulgaria sunt, quaeque scire lectorem

interest, commemorare ament. Qua in re illud tantum dolendum est, quod non dedita opera et quasi de industria narrationem rerum Persicarum instituunt, sed non nisi passim, maxime ubi de bellis inter Byzantinos et Persas gestis exponunt, quaedam, quae ad rem suam facere videantur, de reipublicae Persicae statu et conditione immiscent. Est inter eos Byzantinos, quos nominavimus, non nisi unus, Theophylactus Simocatta, qui data sibi occasione de statu Persicae reipublicae loquendi recte et apte usus est. Sed quamquam ea, quae a Byzantinis de Persarum republica scribuntur, non ea cura, qua nunc in his rebus opus esse censemus, exponuntur, haec tamen laus iis tribuenda est, quod in narrandis Persarum rebus, et maxima simplicitate saepius utuntur, nec ejusmodi opinionibus praejudicatis, quibus nostrae aetatis historicos saepissime transversos agi videmus, induci se patiuntur. Neque vero diligentia Byzantinis de Persarum rebus scribentibus deerat, id quod exemplo facile probari potest Agathiae, qui, quae de ordine, quo reges Sassanici deinceps se excipiebant et de annorum serie, quibus singuli reges regnabant, docuisset, in tabulis publicis Persarum scripta extare affirmat, uti sibi e Sergio quodam interpretis munere apud regem Persarum diu functo, compertum esset*). Theophylactus quidem Simocatta, quae de administranda Persarum republica affert, sese ex aliquo didicisse dicit, qui tabulas publicas regum Persicorum tractare et evolvere consueverit, quum id munus haberet**). Quae quum ita sint, patet, argumenta, quibus nostram sententiam de rerum Persarum statu, qualis tempore Sassanidarum fuerit, comprobemus, maxime ex Byzantinis petenda esse, ita tamen, ut ne Orientales

*) *ἥ τε γὰρ τῶν Περσικῶν βασιλέων διαδοχὴ καὶ ὁ τῶν ἐνιαυτῶν κατάλογος, καὶ, συλλήβδην φάναι, ἅπαν μοι τὸ ἐπηγγελμένον ξυνετελέσθη. οἶμαι δὲ ἄγαν ἀληθῆ ταῦτα καθεστάναι καὶ ἐς τὸ ἀκριβὲς ἐκπεπονημένα, ὡς δὴ ἐκ τῶν Περσικῶν βίβλων μεταληφθέντα.* Agath. IV. 30.

**) *Ἤκουσά του λέγοντος ἀνδρὸς Βαβυλωνίου ἱερομνήμονος μεγίστην ἐμπειρίαν ἀπειληφότος τῆς περὶ τὰς βασιλικὰς διφθέρας ἀναγραφῆς.* Theophyl. Simoc. III. 18.

quidem scriptores, maxime ubi accurata aestimatio et comparatio rerum ostendit, eos fide dignas res narrare, temere prorsus rejiciamus et negligamus.

Sed ad rem ipsam accedamus, in qua ante omnia quaerendum erit, quid et quale illud fuerit, quo regum auctoritas nobilium potentiam et vicissim nobilium potentia regiam auctoritatem Sassanidarum tempore exsuperaret et vinceret. Responsio in promptu est. Primum quidem luculentissimis auctorum testimoniis demonstratum videmus, ea aetate, quam diximus, eodem summo honore reges habitos esse, quo veterum Persarum tempore. Deorum instar honorabantur, in numis, in publicis scriptis filii Ormuzdi, fratres solis ac lunae appellabantur *). Ab rege honore aliquo affici res erat, qua nulla laetior et magis expetenda Persis dici poterat. A rege vero vituperari in maximis malis habebatur. Vetitum erat ei, cui rex irascebatur, ne templa adiret**). Si quis aliquid in regem deliquerat, cujus causa poena mortis afficiendus esset, lege et consuetudine praescriptum erat, ut non solum ipse, sed omnis ejus familia occideretur †). Regum sanguine manus suas respergere maximum omnium scelerum erat, quod nullo pacto poterat expiari ††). Unde factum est, ut si quando rerum necessitas postularet, ut rex a republica regenda removeretur, ille non interficeretur, sed in domum quandam regiam quod castellum oblivionis (φρούριον τῆς λήθης) Persico nomine vocabatur, includeretur, in qua etiam alii, quos in publica custodia haberi e reipublicae commodo videbatur, tanquam in sepulcro asservabantur. Vetitum enim erat, eorum nomina, qui in hoc castello includebantur, hominibus in memoriam revocare †††). Quin imo, everso per Arabes Sassanidarum regno,

---

*) Moses Chorens. III. 7. Am. Marcell. XVII. 4. Theophyl. Simoc. III. 8. Menandri Excerpt. Legat. pag. 136. 353. (ed. Nieb.)

**) Procop. de bell. Pers. I. 23.

†) Amm. Marcell. XXIV. 6.

††) Procop. de bell. Pers. I. 5.

†††) Theophyl. Simoc. III. 5. Cedreni Chronic. pag. 695. (ed. Nieb.)

summam illam regiae stirpis venerationem non imminutam, sed pari modo, ut antea, permanentem et vigentem videre licet, ita, ut Persae, qui patria pulsi in Byzantinis terris degebant, illo etiam tempore nihil sanctius habuisse narrentur, quam oriundum esse e gente Sassanidarum*). Magnificentia etiam et apparatus splendor, quo in rebus suis reges illi utebantur, ingens et paene immensa erat**). Quae res non mira videri potest. Nam regibus Persarum hoc tempore non solum tributa ex provinciis, quemadmodum antiquissimis temporibus fiebat, solvebantur, sed alii quoque reditus ad regis aerarium redibant. Anuschirvanus vectigal in singula civium capita imposuisse videtur. Sed omnes hae pecuniae, quae ad regis aerarium deferebantur, non in iis solum, quae ad regis victum cultumque necessaria essent, consumebantur, sed exercitus etiam ex iis alebatur regius, qui perpetua stipendia merebatur et cujus major pars ex Persis, minor ex militibus conductitiis constabat †).

Deinde gravissimum momentum regiae auctoritati et potentiae accedebat etiam ex eo, quod regibus cura et custodia totius reipublicae commissa erat. Cernebatur ea cura et custodia partim in agriculturae studio augendo et promovendo, partim omnino in rebus prosperis secundisque civium quocunque modo adjuvandis. Quid? quod quemadmodum apud veteres Persas, sic etiam Sassanidarum tempore pulcherrimum regis officium habebatur agriculturae curam perpetuam habere, ita ut a regibus satrapae omnia diligenter et accurate facere et curare, quaecunque ad adjuvandam hanc rem pertinerent, perpetuo juberentur ††). Nimirum hac quidem regum cura factum est, ut res Persarum illis temporibus admodum vigentes florentesque essent. Multum auctoritatis porro regum dignitati haud dubie inde redundabat, quod exercendi juris publici potestas in eorum manibus posita erat. Regis nomine in omnibus Persicae terrae partibus jus

---

*) Genesii Reg. Lib. III. pag. 56. (ed. Nieb.)

**) Theophyl. Simoc. IV. 3.

†) Theophyl. Simoc. III. 5. Theophan. Chronogr. pag. 499. Menander. Excerpt. Legat. pag. 408. (ed. Nieb.)

††) Eutychii Annales ed. Pococke. II. pag. 131.

dici constans mos erat, quo eodem institutum fuisse videtur, judices ipsos regios appellare. Legum quoque scribendarum potestas et talium quidem, quibus, prout res erat, aut omnes Persici regni cives aut alicujus provinciae incolae tenebantur, regibus fuisse videtur. Sic Artaxerxem, Sassanici regni conditorem, decretum edidisse dicunt, quo, quae officia et rationes Armeniae nobilium inter se essent, constitutum erat *). Sic Cabadem regem, qui placitis Mazdaci haeretici favebat, legem, quae ab omnibus Persicae terrae incolis observatur, tulisse dicitur, qua sancitum erat, ut feminis omnes promiscue deinde uterentur **).

Ita enim haec lex a scriptoribus Byzantinis affertur, quos multum in hac re errasse constat. Apertum est enim, regem edixisse, ne conjugia inter nobiles et plebejos amplius vetita essent, ut ex Eutychio patet ***). Illud, quod a Byzantinis creditur, ne fieri quidem potuit. Ac mirum sane est, ferendarum legum potestatem regibus Sassanicis fuisse, quum in antiquo Persarum imperio novae leges non a regibus, sed a judicibus, qui dicebantur, regiis edi solerent. Neque minus rex rebus divinis praefuisse sacrorumque leges scripsisse videtur, ita tamen, ut nisi consilio principum Magorum adhibito non facile de quaquam re decerneret. Simile quoddam ab Artaxerxe, qui primus ejus nominis erat, factum esse legimus, qui Magos narratur convocasse, ut ipso duce religionis statum rerumque sacrarum ordinem Seleucidarum Parthorumque temporibus admodum labefactatum et perturbatum restaurarent. Quid? quod vexationes quoque et injurias, quibus Christiani in Persia degentes illa aetate saepius afficiebantur, solo regum jussu iis inflictas, solo eorum jussu ablatas esse legimus. Id quod quum aliis rerum testimoniis comprobatur, tum maxime regis illius Cabadis exemplo, a quo Manichaeos in proscriptorum numerum relatos esse certo con-

*) Moses Chorenes. II. 74.

**) Agathias. IV. 27. Procop. de bell. Pers. I. 5. Josua Stylites in Assemani Bibl. Orient. I. pag. 265.

***) Eutychii Annales ed. Pococke. II. pag. 179.

stat*). Porro conspicua erat Regum Persicorum potentia etiam in eo, quod munera publica civibus deferre, et, si forte aptum et utile videbatur, nova magistratuum genera facere et creare illis licebat. In quo tamen illud memorabile est, hoc regum jus munera civibus distribuendi quodammodo ea lege publica circumscriptum fuisse, ut summorum magistratuum munera hereditatis jure certis quibusdam nobilitatis familiis rite tradenda essent. De qua re accuratius, ubi de nobilitatis potestate agendum erit, disputabitur. Ceterum reges Sassanicos interdum etiam nova genera magistratuum creasse, documento est idem Cabades, qui novum quendam magistratum, cui appellatio Adrastadaransalanes erat, nominavit eumque ceteris omnibus magistratibus, qui res et civiles et militares administrabant, tanquam censorem et custodem praeesse jussit**) Denique eorundem Persicorum regum fuisse videtur, comitia principum convocare, iis leges et rogationes proponere, et, si quod consilium captum esset, illud exsequi et ad exitum perducere***). Haec erat potestas, quam Reges Sassanici in internis, quas dicunt, civitatis rebus exercebant. Quod vero ad res externas pertinet, satis multa et varia erant, quae jussu et auctoritate solius regis gerebantur. Ac primum quidem eligendi et mittendi legatos publicos, per quos cum aliis populis de pacis legibus amicitiaeque conditionibus agerent, potestatem habebant. Deinde vero quemadmodum regis officium habebatur, patriam contra hostes omni modo defendere, ita more institutum fuisse videtur, ut, quum aliquod bellum exarsisset, Persarum rex, siquidem gerendo bello intererat, ipse summus dux exercitui praeesset, rege vero absente usu solemne erat, ut imperium illud certis quibusdam obveniret nobilibus, quibus id quasi jure hereditario destinatum erat. Ultro hostibus bellum inferre num regi, injussu nobilitatis, licuerit, perquam incertum est. Illatas vero hostium injurias statim propulsare et a civibus defendere, omni tempore regibus non solum

*) Theophan. Chronogr. pag. 262. (ed. Nieb.)
**) Procop. de bello Persic. I. 6.
***) Procop. de bello Persic. I. 11.

licitum erat, sed vel ad officium eorum pertinebat, ita ut de bello, quod a defendendo nomen habet, ineundo, nobiles consulere opus non haberent. Ex his omnibus, quae adhuc disputata sunt, satis dilucide, qualis regia potestas apud Persas Sassanidarum tempore fuerit, apparere videtur. Patet, regum Sassanicorum potentiam satis late patuisse, quum non solum legum, quas vellent, sua ipsorum auctoritate ferendi, sed rerum etiam multarum exsequendarum potestatem habuerint. Qua in re tamen id tenendum est, legum ferendarum jus haud sane magnam vim habuisse in vitae conditionem Persarum mutandam resque publicas novandas. Nam quum illis temporibus totum vitae genus ac civitatis status et ordo moribus institutisque sacris certo jam firmatus esset, eaque ratione optime omnia procederent: et raro causae censendae sunt exstitisse, cur reges usitatum rerum ordinem et formam mutare vellent, nec poterant nisi violentissimo modo et maximis laboribus consuetos illos et quasi inveteratos mores et instituta tollere et ex animis civium evellere.

Venimus nunc ad alteram disputationis nostrae partem, qua, quae nobilitatis Persicae jura Sassanidarum aetate fuerint, et quam vim ad res publicas gerendas eadem nobilitas habuerit, docebimus. Hujus quidem nobilitatis juribus finita et circumscripta erat regia potestas, sed plane alio modo, quam quo in nostris civitatibus vulgo id fieri solet. Nostra enim aetate regiae potentiae fines certis legibus firmisque decretis constitutos esse videmus, quibus Sassanidarum aetas caruisse videtur. Sed regum Persicorum potestas primum eo coercita erat, quod munera publica a patre ad filium propagari solebant, quae munera cuiquam alio homini, nisi cui jure hereditario destinata erant, tradere regi nullo pacto licebat. Reges igitur summam quidem imperii tenebant, sed omnia quae gerenda erant publica negotia, per certos quosdam nobiles, prout quorumcunque munera jure hereditario accepta id postulabant, peragere cogebantur. Ad nobilitatem enim omnia ea munera pertinebant, quae alicujus momenti erant. Hac ratione perniciosum illud et mulierum et eunuchorum imperium, quod apud veteres Persas fuisse constat, Sassanidarum tempore desiit et ita penitus sublatum fuit, ut ne mentio quidem ejus rei fiat. Ceterum

ex multis indiciis colligere licet, Persarum nobiles, qui ea munera possidebant, maximos agros et amplissima praedia habuisse, quae populus ditioni ipsorum subjectus incolebat. Videntur Persarum nobiles, uti media aetate Christianae aerae in Europa nobilitatis mos et consuetudo erat, operibus munitas arces in montibus saepissime sibi exaedificasse, et ex illis locis in incolas, qui patentes campos incolebant, suam dominationem exercuisse. Hujus rei hodie etiam vestigia exstant. Docemur enim, omnia montium juga in terra Perside castellorum arciumque ruinis etiamnum conspersa et obruta esse*). Jam vero eandem Persarum nobilitatem probabile est in duas partes, in inferiorem et superiorem, divisam fuisse, inter quas haec fortassis ratio intercedebat, ut altera ex altera suppleretur, ne superior nobilitatis pars unquam deficere posset. Nobiles illius inferioris ordinis etiam certis quibusdam publicis muneribus, sed iis minoris momenti, functi et ex pueris juvenibusque hujus ordinis Immortalium illorum celeberrimus grex compositus fuisse videtur. Immortalium grex robur Persici exercitus erat. Tanta horum Immortalium, qui dicebantur, auctoritas erat, ut quidquam contra eorum voluntatem facere reges non facile auderent. Verendum enim erat regibus, ne si forte hunc Immortalium ordinem laesissent, hi seditiones concitarent**). Sed prorsus alia conditio erat illius nobilitatis, quae superioris ordinis habenda est, cujus duo genera fuisse videntur, unum eorum, qui publica munera administrabant regique in gerenda republica quasi ad manus erant, alterum eorum, qui satrapias tenebant, quorum aliquot vel regio nomine utebantur. Quanti ab ipsis Persis omne hoc nobilium genus aestimatum fuerit, quantamque in res publicas vim habuerit, vel ex eo intelligere licet, quod a Byzantinis scriptoribus flos roburque Persiae, imperatores Persiae, senatus Persiae et quae sunt alia honorificentissima nomina, appellantur. Dubium

*) William Ousely Travels in various countries of the east; more particularly in Persia. I. pag. 266.

**) Socrat. Hist. ecclesiast. VII. 20. Procop. de bell. Persic. I. 14.

non est, quin hoc procerum genus ex nobilissimis illis Pasagardarum familiis simulque ex aliis opulentissimis et amplissimis aliarum Provinciarum, quae non Persiae proprie sic dictae erant, gentibus constiterit. Hi majoris ordinis nobiles summa illa, quibus respublica regebatur, munera, hereditario quasi jure possidebant, ita ut, quum munus aliquod vacaret, regi illud deferre non liceret nisi ei candidato, qui eandem familiam, cujus illud munus proprium erat, cognatione attingebat. Cujus rei memorabile exemplum a Procopio relatum reperimus*). Rex enim Cabades, quum post exilium in patriam redux factus esset, voto spopondisse narratur, se ei Persae, qui primus sibi obviam venisset et regem se salutasset, munus Chanarangis delaturum esse. Postea vero regi in memoriam venisse, sibi nullo modo licere, eam familiam, cui hoc munus patrio jure esset, praetermittere, eamque ob causam Cabadem propter votum illud in magna anxietate fuisse, quippe nescium, quomodo sese ex hac difficultate expedire posset. Fortuito autem contigisse, ut is, qui primus obviam factus esset, ad eam ipsam familiam, cujus munus illud patrio jure erat, pertineret. Hereditario igitur quodam jure munera illa imperii maxima nobilium familiarum erant, et regibus eligendi quidem magistratus potestas erat, sed ex ea semper familia, quae id munus antiquitus habebat. Pluribus vero exemplis confirmatur, ea munera saepissime, defunctis patribus, ad filios propagata esse. Unde et qua ratione haec consuetudo et lex orta sit, non satis liquet; id tamen certum est, ex antiquis

---

*) ἐπεὶ δὲ ὁ Καβάδης ἐν τῇ χώρᾳ ἐγένετο, ἔνθα ὁ Γουσαναστάδης τὴν ἀρχὴν εἶχεν, εἶπε τῶν ἐπιτηδείων τισὶν ὡς Χαναράγγην καταστήσεται ἐκεῖνον, ὃς ἂν αὐτῷ Περσῶν πρῶτος ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐς ὄψιν ἥκων ὑπούργειν βούλοιτο εἴποντί τέ οἱ μετέμελεν ἤδη τοῦ λόγου, ἐπεὶ νόμος αὐτὸν εἰσῄει, ὃς δὴ οὐκ ἐᾷ Πέρσας ἐς τοὺς ἀλλοτρίους τὰς ἀρχὰς φέρεσθαι, ἀλλ' οἷς ἡ τιμὴ ἑκάστη κατὰ γένος προσήκει· ἔδεισε γὰρ μήτις ἵκοιτο εἰς αὐτὸν πρῶτος τῷ Χαναράγγῃ οὐ ξυγγενὴς ὤν, τόν τε νόμον ἀναγκάζηται λύειν, ὅπως αὐτὸς ἀληθίζηται. ταῦτα δέ οἱ ἐν νῷ ἔχοντι ξυνέβη τις τύχη ὥστε μὴ τὸν νόμον ἀτιμάζοντι ἀληθῆ εἶναι· ἔτυχε γὰρ, πρῶτος Ἀδεργουδουνβάδης ἐς αὐτὸν ἥκων, νεανίας ἀνὴρ ξυγγενής τε ὢν Γουσαναστάδῃ. Procop. de bell. Persic. I. 7.

illis Persarum institutis, de quibus supra locuti sumus, eam natam et per temporum decursum in eum statum, qualem regnantibus Sassanidis esse videmus, transiisse. Nec vero solum reipublicae munera nobiles in manibus habebant, sed etiam in consilio semper aderant, ita ut eas res, quae regibus erant faciendae, horum nomine, sed sua ipsorum auctoritate et potestate exsequerentur. Unde patet, reges Sassanicos administros hereditarios eos habuisse; quam rem luculentissime Theophylactus Simocatta testatur*). Illo enim loco, quem supra laudavimus, narrantur septem summae Persicae nobilitatis familiae fere solae clavum reipublicae tenuisse et rerum gerendarum administrationem ita inter se distribuisse, ut una familia curam omnium earum rerum, quae ad eligendum regem et tradendum ei regnum opus essent, haberet, altera omnibus iis, quae ad res bellicas pertinerent, prospiceret, tertia summis magistratibus praefecta esset, quarta rei judiciariae custodiam haberet, quinta equitatui regio praeesset, sexta tributa exigenda et in publicum aerarium referenda curaret, septima armentaria et instrumenta belli custodiret et tueretur. Inde apparet, hos Persarum magistratus ad similitudinem eorum administrorum, quales nostra aetate publicis negotiis praeesse a regibus jubentur, proxime accessisse, ita ut plane ex nostrarum civitatum more et consuetudine ministeria, quae vulgo dicuntur, belli, redituum publicorum, juris exercendi et rerum, quae dicuntur, internarum apud Persas quoque Sassanidarum temporibus in usu fuerint. In his ministeriis illud, quod rerum

---

*) *δήμοις γὰρ παρὰ τοῖς Μήδοις ἑπτὰ τῶν πράξεων τὰ ἀγχίνοά τε καὶ τιμιώτατα διαννομένοις, νόμῳ πρεσβύτῃ κληροδοτουμένοις, μὴ ἄλλους ἔχειν τὰ πράγματα ἔφασκε, καὶ τὸν μὲν Ἀρταβίδην ἐπιλεγόμενον δῆμον τὴν βασιλείαν κατέχειν, καὶ τοῦτον ἐπιτίθεσθαι τῷ βασιλεῖ τὸ διάδημα, ἕτερον τῆς πολεμικῆς προεστάναι συντάξεως, ἄλλον δὲ τὰς πολιτικὰς περικεῖσθαι φροντίδας, τὸν δὲ ἕτερον τὰς διαφορὰς διαλύειν τῶν περί τι καταστασιάζοντων καὶ διατητοῦ δεομένων, τὸν δὲ πέμπτον ἡγεῖσθαι τῆς ἵππου, τὸν δὲ μετὰ τοῦτον φορολογεῖν τὸ ὑπήκοον καὶ τῶν βασιλικῶν ταμείων ἔφορον πεφυκέναι, τὸν δ' ἕβδομον κηδεμόνα τῶν ὅπλων καὶ τῆς πολεμικῆς ἐσθῆτος ἐπιστατεῖν.* Theophyl. Simoc. III. 18.

bellicarum curam habebat, longe maximi momenti fuisse videtur, quippe quod tripartitum esset, cujusque cura tribus singulis administris concederetur. Veruntamen est etiam, quo ab illis Persarum muneribus, de quibus diximus, ea recentissimorum temporum munera, quae similia dici possunt, differre videantur. Apud nos enim ii, quos rerum bellicarum administros vocamus, exercitui in bello gerendo non ipsi praeesse solent, apud Persas vero et belli duces et rerum bellicarum administri iidem fuisse videntur; certe intelligitur, eos summos magistratus, per quos rex Persarum imperata sua exsequenda curabat, vimque suam in republica administranda exhibebat, in nobilium manibus fuisse, ita ut cuique familiae certum aliquod munus proprium et quasi hereditarium esset. Nam quod de Chanarangis munere memoriae proditum esse supra memoravimus, id in his quoque, quae modo diximus, muneribus, quibus regii administri fungebantur, in omnibus denique aliis, quae nobilitatis erant, officiis accidisse consentaneum est. Licebat quidem regi, munera illa alicui nobili homini deferre, sed non nisi ei, qui ejus familiae erat, quae illud munus hereditario quasi et patrio jure haberet. Scimus quidem, regem Hormisdam hujus nominis quartum illud, quod diximus, jus munera postulandi nobilitati eripere voluisse,*) sed eam ob caussam crudelissime a nobilitate occisum esse.**) Mansit itaque inviolatum jus illud usque ad interitum regni Sassanici. Verum enim vero jam supra demonstratum est, summos illos Persarum magistratus tanta auctoritate fuisse, ut reges in gerendis rebus publicis ab illis quodammodo penderent. Item supra jam memoratum est, concilium regibus fuisse eorum, quos regios administros dixeramus, quorum assensu opus erat, quum reges graviores res exsequi vellent. Nam illi administri neutiquam mero regio fungebantur officio, in quo sola regis voluntate penderent, sed propria quadam vi et auctoritate erant. Sic horum erat, dijudicare, foedus cum aliquo populo faciendum utrum reipublicae commodis inserviret an non, porro cognoscere, quae conditiones

---

*) Eutychii Annales ed. Pococke II. pag. 200.

**) Theophyl. Simoc. IV. 6.

pacis a legatis exterarum nationum propositae essent, et quae sunt alia ejusdem generis.*) Qua in re tamen id Scriptores Byzantini incertum relinquunt, utrum viri illius concilii participes ita in rerum deliberatione versati sint, ut non nisi consilia cum rege communicarent, an ita sententiam suam tulerint, ut rem ipsam decernerent.**) Id vero apparet, regibus necessitatem quandam impositam fuisse, ut omnes res, quae cum exteris populis agendae essent, cum illo concilio communicarent. Ceterum permagna apud Persas Sassanicis temporibus multitudo magistratuum fuisse videtur, quos ad unum omnes hereditarios fuisse probabile est. Quae quum ita sint, sponte apparet, ejusmodi regiam potestatem, quae pendeat ex magistratibus hereditatis jure constitutis, sine quorum consilio et arbitrio nihil fieri potest et debet, non absolutam, sed certis terminis definitam non posse non judicari. Ejus generis videmus regnum Sassanidarum fuisse, in quo non unius dominatu, sed semper adhibito optimatum consilio omnia geruntur.

Altera pars nobilitatis, quae ab illa priore quodammodo diversa erat, continebatur iis, qui Satraparum munus habebant. Horum multi regio genere fuisse videntur. Constat enim, eo tempore, quo Sassanidarum familia consurrexit, ut Parthorum dominationem everterent, et in ipsa Perside et in nonnullis aliis veteris Persici regni provinciis magnum regulorum numerum Parthico imperio subditorum fuisse. Cum his regulis Artaxerxes I, qui imperium Persicum restauravit, pactionem talem fecisse videtur, ut, regio nomine deposito, imperium quidem suae provinciae satraparum nomine retinerent, sed regi Persarum tanquam domino supremo obedirent.***) Hae vero satrapiae istis

---

*) *ἐπεὶ δὲ ἡ Τούρκων πρεσβεία αὖθις ἀφῖκτο, ὁ βασιλεὺς ἅμα τοῖς ἐν τέλει Περσῶν ἐγνωμάτευε, πάντῃ ἀξύμφορον εἶναι Πέρσαις φίλιαν θέσθαι ὡς Τούρκους.* Menandri Excerpt. Legat. pag. 297. (ed. Nieb.)

**) *ὁ δὲ Περσῶν βασιλεὺς τοὺς περὶ Σουανίας μὲν λόγους ἔδοξε παρα δέχεσθαι. χρῆναι δὲ αὐτὸν ἔφη περὶ ταύτης ἅμα τοῖς ἐν τέλει τῶν Μήδων βουλεύσασθαι.* Menandri Excerpt. Legat. pag. 378. (ed. Nieb.)

***) Eutychii Annales ed. Pococke I. pag. 397.

regulis non solum per omne vitam sed ea quoque conditione traditae esse videntur, ut in eadem semper familia essent.

Etenim haec omnium omnino, quae maximi in Persica civitate momenti erant, munerum et officiorum lex et conditio fuisse videtur, ut regibus quidem potestas esset eligendi eum, quem muneri praeficerent, sed non nisi in ea familia, cui id jus proprium erat. Hoc modo rex nobilibus munera regni assignabat, nobiles vero, uti postea videbimus, cuilibet ex regia familia favebant, ei regnum assignabant. Scilicet reges ea lege adstricti erant, ut eligerent quidem magistratus, sed non nisi ex certis familiis, nobiles autem ei legi obediebant, ut regem quidem eligerent, sed neminem nisi ex familia Sassanica oriundum eligere possent.

Satrapae imperii Persici temporibus Sassanidarum perpetua erga reges fide excellebant, qua quidem virtute illos antiquae aetatis Persarum satrapas tam parum eminuisse scimus, ut contra reges rebellare raro desinerent.*) Nihil tale moliebantur Sassanidarum satrapae, et frustra semper agebant Romani, si quando satrapas Persicos ad se traducere tentabant. Nescio an ejus rei causa ab illo instituto munerum jure hereditario propagatorum repetenda sit. Satrapas Persicos hereditariis muneribus functos esse, eo verisimilius est, quod Romani etiam in ea parte Armeniae, quae suae ditioni subjecta erat, satrapas hereditarios constituere solebant, in qua consuetudine Persas imitati esse videntur, ne Romani Satrapae Persicis dignitate et conditione inferiores essent.**) Qua in re quamquam ultra conjecturam et verisimilitudinem transgredi non licet, illud tamen pro vero nobis sumere possumus, etiam satrapas, quos optimatum maximos et potentissimos fuisse constat,***) hereditario jure munera sua possedisse. Ita hi reguli satrapae Sassanicorum regum facti sunt, quorum nonnulli etiam Sassanidarum sub dominatu regnum regiumque nomen retinebant, qui quidem reguli,

---

*) Ammian. Marcell. XXI. 23. Agathias II. 20.

**) Procop. de aedificiis III. 1.

***) Theophanis Chronogr. pag. 480. (ed. Nieb.)

ut ipsi Arsacidae et Sassanidae, per nobilitatem ejus, cui imperabant provinciae, eligi solebant. Ita Lazorum quidem regulos per Reges Persarum, Abasgorum vero per provinciae suae nobilitatem ex eadem semper familia creatos esse scimus.*) Quum igitur vix dubitari posse videatur, satrapias patrio jure propagatas fuisse, sequitur, Sassanidarum potestatem certis finibus et eo, quo diximus, modo circumscriptam fuisse.

Multo vero magis regum Sassanidarum potentia cohibebatur eo, quod magna comitia procerum et optimatum maxime eorum, qui satrapiis aliisve muneribus fungebantur, certis temporibus habebantur, quibus de rebus publicis decernendi jus erat. Nunc paucis dicendum est, quae singula illorum comitiorum jura fuerint. Primo reges ab his comitiis nominabantur, eligebantur et imperium electis tradebatur. Qui enim mos apud plerosque antiquitatis populos erat, ut ex una eademque stirpe, quamdiu vigebat, singuli singulorum populorum reges crearentur, eum morem etiam apud Persas Sassanidarum temporem regnasse videmus. Apud eos enim is, qui filiorum mortui regis natu maximus esset, quodammodo succedendi jure gaudebat, sed tamen non nisi consentiente nobilitate patri succedere poterat. Dubium omnino et incertum illud jus eo fiebat, quod nobilitati etiam jus erat, ut regem e familia Sassanica sibi crearent, electum confirmarent eique fasces regni traderent. Quae res quum re-

*) Chronicon Paschale, pag. 613. (ed. Nieb.) Procop. de bello Gothic. IV. 9.

**) *Καβάδης μὲν οὖν ἄντικρυς διεπθέτο βασιλέα Χοσρόην Πέρσαις καθίστασθαι· τὸ δὲ γράμμα ὁ Μεβόδης αὐτὸς ἔγραφε καὶ ὁ Καβάδης αὐτίκα ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο. καὶ ἐπεὶ τὰ νόμιμα ἐπὶ τῇ τοῦ βασιλέως ταφῇ ἐγεγόνει, ὁ μὲν Καόσης τῷ νόμῳ θαρσῶν ἐπεβάτευε τῆς τιμῆς· ὁ δὲ Μεβόδης ἐκώλυε, φάσκων οὐδένα χρῆναι αὐτόματον ἐς τὴν βασιλείαν, ἰέναι ἀλλὰ ψήφῳ Περσῶν τῶν λογίμων. καὶ ὃς ἐπέτρεπε ταῖς ἀρχαῖς τὴν περὶ τοῦ πράγματος γνῶσιν, οὐδὲν ἐνθένδε ἔσεσθαι οἱ ἐναντίωμα ὑποτοπάζων. ἐπεὶ δὲ ἅπαντες οἱ Περσῶν λόγιμοι ἐς τοῦτο ἀγηγερμένοι ἐκάθηντο, τὸ μὲν γράμμα ὁ Μεβόδης ἀναλεξάμενος τὴν Καβάδου ἀμφὶ τῷ Χοσρόῃ ἐδήλου γνώμην, ἀναμνησθέντες δὲ τῆς Καβάδου ἀρετῆς ἅπαντες βασιλέα Πέρσαις αὐτίκα Χοσρόην ἀνεῖπον.* Procop. de bell. Persic. I. 21.

gibus molesta et odiosa esset, studiose eos operam dedisse videmus, ut illud nobilitatis jus abrogarent. Ea re permoti quidam Persarum reges vivi jam unum ex filiis in societatem imperii sibi assumebant; alii amicitiam et foedus cum exteris nationibus jungere eo consilio studebant, ut iis filiis, quos in successionem regni adoptare cupiebant, esset, unde posthac subsidia et auxilia peterent. Ejusmodi consilium Cabades secutus esse videtur, quem a Justino Romanorum imperatore petiisse legimus, ut filium ipsius Chosroem adoptaret.*) Tantum vero aberat, ut nobiles suum sibi jus eripi paterentur, ut temporum decursu eorum in hac re auctoritas et potentia stabiliretur et augeretur. Saepissime enim hi non solum eum filium, qui natu maximus erat, sed omnes omnino defuncti regis filios praetermittebant et alium quendam e gente Sassanica regem sibi creabant. Quid? quod eos reges, qui rempublicam praeter spem et voluntatem optimatum regebant, regno pellere illi solebant. Ita Cabadi, ita Hormisdae IV accidisse constat. Alterum quoddam jus, quod universae Persarum nobilitati erat et in magnis illis comitiis exercebatur, positum erat in eo, quod singuli nobiles, si quid deliquerant, nisi ab universa nobilitate neque damnari neque absolvi poterant, Quodsi de ejusmodi causa agebatur, omnes nobilitatis principes convenire solebant, ut litem dirimerent, quibus comitiis rex praefuisse videtur. Hanc ob rem illi summi nobiles non raro jactasse videntur, suam causam a nemine alio nisi a rege ipso dijudicari posse**) Non negari quidem potest, multa exempla occurrere, quibus, ostendi videtur, proceres a regibus injuste et ad arbitrium tractatos esse. Sed primum probabile est, reges saepissime fines illos, quibus ex legibus et moribus impediti erant, transgredi studuisse. Deinde Byzantini scriptores haud raro res narrant, omissis causis, quibus eae efficiebantur. Sic fit, ut quos nobiles a rege ad arbitrium punitos narrant, ii revera ab illis comitiis damnati fuisse putandi sint.

---

*) Theophanes Chronogr. pag. 258. (ed. Nieb.) Procop. de bell. Persic. I. 10.

**) Procop. de bell. Gothic. I. 17.

Ex omnibus his, quae hucusque disputavimus, certo apparet, primum potentiam regum Persicorum tempore Sassanidarum non absolutam, sed certis quibusdam finibus circumscriptam fuisse, deinde potentiam nobilitatis in civitate fuisse, tantam quidem, ut illam alteram admodum coerceret. Permagnam autem hanc nobilium potestatem fuisse inde iam cognoscitur, quod illi nobiles summa reipublicae munera haereditario jure possidebant, et quod rex illa munera iis deferre quidem, neque vero, nisi universae nobilitatis consensu, eripere poterat. Ceterum conjectura satis probabili consecuti esse videmur, comitiis jus fuisse, ut omnia gravissima reipublicae negotia cum rege communicarent, de iisque communiter decernerent. Ita in talibus comitiis de bello gerendo consilia capta esse legimus; ita ultimum Armeniae regem in iisdem comitiis regno depulsum reperimus.*)

Sed haec hactenus. Jam faciendum est id, cujus caussa haec scripsimus. Nam quum officium mihi injunctum sit, professionem philosophiae extraordinariam Regis Augustissimi et Potentissimi clementia mihi demandatam oratione aditiali inauspicandi, apud animum constitui sermone vernaculo

de argumento tragoediae Shakspearianae, quae inscribitur „Hamlet" et ejus praestantia aesthetica

verba facere. Ad quam solennitatem V o s, R e c t o r M a g n i f i c e, P r i n c i p e s C e l s i s s i m i, P r o c e r e s U t r i u s q u e R e i p u b l i c a e I l l u s t r e s, F a u t o r e s G r a v i s s i m i, C o m m i l i t o n e s denique O r n a t i s s i m i et H u m a n i s s i m i, ea, qua decet, observantia invito.

---

*) Procop. de bell. Persic. II. 17. Moses Choren. III. 68.